Restaurator hujus Ordinis extitit S. Cyriacus Herosolimorum Episcopus post sanctum Macarium Episcopum tempore Constantini Imperatoris in ipsa Urbe Jerosolima. Patet hoc ex variis authoribus —

Hic ordo approbatus a summis Pontificibus Alexandro 3. Innocentio 3. Alexandro 4. Bonifacio 8. Julio 3. et alijs. Sollummodo Ultimi hujus Pontificis, habet hic ordo Diploma in authentico. Ceterorum Pontificum perdidasunt ob crebra praelia, horibiles neces et varias incursiones, tum Tartarorum in Poloniam tum Hussitarum in Bohemiam.

Patet hunc Ordinem esse antiquissimum, nam hic ordo, minus erat ignotus Poloniae sub anno 1253. Quem ordinem Introducit Boleslaus Pudicus Rex Poloniae ex Bohemia, cui ordini Ecclesiam S. Marci et Monasterium Cracoviae fundavit Ao 1257. Ex Regno Poloniae Lithvaniam hunc ordinem esse introductum per Wladislaum Jagielonem Regem Poloniae, qui fundavit duas Ecclesias Parochiales, videlicet: Bistrzycensem Sanctae Crucis et Miedniczensem SS. Trinitatis. Quae omnia fusius decribit R. Pater Silvester Rodkiewicz Praepositus Kurklensis in suo Libello sub Titulo: Opus Misericordis Dei —

Annotationes

Summus Pontifex Julius 3. meminit in suo Diplomate dato Ordini Canonicorum Regularium de PTtta, Alexandrum 3. et Bonifacium 8. suos antecessores approbantes olim hunc Ordinem —

Olim Patres Pragenses hujus Ordinis in Bohemia manentes, invitati fuerunt Cracoviam ad Celebrandum Capitulum, et vicissim Patres Cracovienses Pragam. Patet hoc, ex literis sibi invicem datis —

Patres Pragienses in Bohemia ad Ecclesiam Sanctae Crucis veteris Pragae manentes utuntur ab antiquis, usq ad modernum tempus hoc titulo: Ordinis Canonicorum Regularium Cruciferorum S. Mariae de Urbe Demetri de Pitta beatorum Martyrum; Quo titulo utebantur etiam et Patres Cracovienses, primi quoque vis a sua Lithvaniam Introductione utebantur hoc titulo et Patres Lithvaniae modo autem his temporibus subscribuntur omnes breviori titulo

Etiam ab antiquis hic ordo facit mentionem usque modo in suis suffragijs S. Helenae qua sui Fundatoris S. Cyriaci qua Restauratoris et S. Augustini qua Legislatoris —

Hunc Ordinem antiquissimum scimus esse: tum ex Diplomatibus et Privilegijs Summorum Pontificum, tum ex varijs antiquis Authoribus fide dignis. Qui

ordo —

De

Origine Ordinis Canonicorum Regularium Crucigerorum S. Mariæ Demetri de Urbe de Patta beatorum Martyrum

Ordo Canonicorum Regularium Crucigerorum S. Mariæ Demetri de Urbe de Patta beatorum martyrum, Institutus est a S. Cleto Summo Pontifice, non ut Ordo, prout modo videmus: sed erat Cœtus quidam hominum, quasi quædam Sodalitas Sancta, ad recipiendos Christianos, præsertim Peregrinos ad terram Sanctam euntes aut Romam proficiscentes. Hi viri Sancti prout Discipuli S. Cleti, portabant in manibus suis cruces porrectas a S. Cleto ob memoriam Dominicæ Passionis, qui etiam multoties præliabant ante, et in ipsa Sancta Cruciata contra hostes Ecclesiæ, tenentes has Cruces et arma in manibus. Sed postea illas Cruces propter majus præliandi commodum, manicis vestium assuerunt, et in memoriam Sanctæ Cruciatæ in ijsdem vestibus assutas Cruces, usque ad tempora Alexandri III deferebant. Qui Pontifex, hujus Ordinis habitum Cæruleum in Candidum Commutavit, et Crucem rubeam in corde rubeo super Scapulari portandam assignavit, prout modo hoc signo utuntur moderni Canonici Regulares de Patta. Crux ergo data est a S. Cleto Ordini Canonicorum Regularium de Patta, ob memoriam Dominicæ Passionis, Regula et Cor a S. Augustino, ob amorem ardentem erga Deum. Color utriusque purpureus excellentissimum sacri Ordinis in Ecclesia Dei meritum designat. Propter antiquitatem hujus Ordinis, Titulus quoque oblongior est, singulis verbis, secula sua merita et Privilegia Apostolica denuntians.

Dicitur Canonicorum Regularium ad Differentiam Monachorum. Quia Ordo hic sicut post Apostolos, primus in Ecclesia S. illuxit, ita etiam ad curam animarum est ordinatus.

Dicitur S. Mariæ Demetri: Quoniam et ipse Demetrius Consul Romanus adjungens se huic Cœtui virorum Sanctorum Concessit suas ædes pro habitatione communi.

Dicitur de Urbe. Quia Romæ ad Cathedram Petri, ejus scabellum proximum et humillimum accessit, tum quoque. Quia Romæ ante omnes alios ordines, tria prima, et antiquissima cænobia habuit.

Dicitur de Patta. Propter Sanctos fratres illos, qui tempore persecutionum, in sylvis et speluncis latebant, Tum propter Pœnitentiarios, qui Sanctæ Sedi Apostolicæ ex nostris fratribus, usque ad ultimam persecutionem illam jugiter laborantes acceptissimi extiterant.

Dicitur beatorum Martyrum: Propter multitudinem gregis immolati pro Gloria Dei et augmentum Sanctæ Ecclesiæ in primordijs ejus.

Restaurator

Qui Ordo in primis floruit Romae et in tota Italia, post hostilitates et Persecutiones, Devenit Florentiam et Florentia Hungariam et Bohemiam et Bohemia, Poloniam et Polonia, Lithvaniam Jam hunc Ordinem penè emortuum esse scimus modo in Ipsa Urbe Cracoviensi et in partibus olim Poloniae, in Lithvania vero velut semivivus censetur ratione liberalis et discreti regiminis Nam paucos Confratres video portantes vestes ordinis candidas et Crucem antiquitatis purpuream super scapulari assutam, imò video multos tendentes ad Clerum saecularem, erubescentes suum ordinem. Et sic vertuntur vices temporum rerum atque consuetudinum

Pro hac sola vice subscribo me longiore et antiquissimo Titulo

Caesarius Kozlowski Commissarius Generalis Ordinis Canonicorum Regularium Cruciferorum S. Mariae de Urbe Demetri de Poenitentia beatorum Martyrum Datt Vilnae in Zarzecz Junij 13. Die 1824. anno
m. pp.

Communico Libellum sub Titulo, Opus Misericordis Dei etc